



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1565

Acta & scripta Lutheri, Anno. M.D.XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29789

atq; autoritate, atq; etiã Inquisitionis officio.

Acta & scripta Lutheri, Anno. M. D. XVIII.

LVtherus igitur, suorum fretus cõ-
silio, Latinũ ædidiit librum, cui
hũc præfixit titulum. Resolutio-
nes disputationũ de Indulgẽtia
rũ virtute &c. In quo quidẽ lib.
95. Cõclusiones iuxta nouã opi-
nionẽ suã declarabat, non sane, vt Papã aut ad-
uersarios suos sibi reconciliaret, aut placabiles
redderet, quos acerrime eo ipso in libro plarũ
que impugnabat: sed vt Lectorẽ in partẽ rape-
ret suã, mirã simulans erga Romanũ Pontificẽ
humilitatẽ, subiectionẽq; ac reuerentiã. Vnde
venabatur callide Lectoris & in se cõmiserã-
tionẽ, & in aduersarios odiũ. Fingebat enim se
admodũ reluctatẽ & inuitũ rapi ac protrahi in
publicũ, improbitate illorũ. Dicebat ergo in
præfatione ad Leonẽ X. Inuitus venio in publi-
cũ, præsertim ego indoctus, stupidus ingenio, *Ficta humi-*
vacuus eruditione. Sed cogit necessitas, me an- *litas Lub.*
serẽ strepere inter olores. Itaq; quo & ipsos ad-
uersarios mitigẽ, & desideria multorum expleã
emitto ecce meas nugas. Et infra. Quare Bea-
tissime Pater, prostratũ me pedibus tuã B. offe-
ro, cum omnibus quæ sum & habeo: Viuifica,
occide: voça, reuoca: approba, reproba, vt pla-
cuerit. Vocem tuam vocem Christi in te præsi-
dentis & loquentis agnoscam: Si mortem me-
rui, mori non recusabo.

*Favor calli-
de questus.*

Hæc itaq; calliditate, dum quereretur, se iniuste premi ab aduersariis, & in publicum cogi: breui maximè sibi conciliauit fauorem, non modo apud simplicem populum: qui facile credit & ad omnem nouitatè aures libèter arrigit patulas ac prurientes: verum etiam apud plerosq; graues & eruditos viros, qui verbis eius genuina simplicitate credentes, putabāt Monachū nihil aliud quærere, quam veritatis patrociniū cōtra Quæstores indulgentiarū, qui magis pecuniarum quam animarum zelatores viderentur: sicut criminabatur eos Lutherus. Atq; vt omnem hæreseos suspicionem à se reiiceret in aduersarios, adiunxit libro, post querulas ad Staupitiū & ad Leonem Papam epistolas, solennem quandam protestationem, in qua deferebat non solum sacris literis, verū etiam sacris Canonibus decretalibusq; Pontificiis & Ecclesiasticis partibus, sed & superiorum suorum iudicium in omnibus volebat habere saluum. Hinc illius miserta Poëtarum Rhetorumq; docta cohors, & in aduersarios eius odio accēsa, impigre pro eo & lingua & calamo decertabat, causamque eius Laicis commendabilem reddebat, ac variis cauillis & inuectiuis prælatos Ecclesiæ Theologoq; perstringebat: incūsans eos auaritiæ, superbiæ, inuidiæ, barbariei & ignoratiæ: Qui innocentem Lutherum non ob aliud persequerentur, quam ob doctrinam, quod videretur & esset doctior eis, & liberior ad dicendam veritatem, contra imposturas & præstigias hypocri-

*Protestatio
Lutheri.*

*Poëta fauen-
tes Lutheri.*

pocritarum. Cūq; valerent non solum ingenio & acrimonia, verum etiam elegantia sermonis, siue loquendum siue scribendum esset, facile traxerunt Laicorum animos in fauorem commiserationemq; Lutheri, tanquā is propter veritatem & iustitiam vexaretur ab Ecclesiasticis, inuidis, auarīs, & indoctis: qui in ocio luxūque viuentes, superstitionum adinventionibus à simplici plebe pecuniam emulgerent.

Tetzellio itaq; qui antea quoq; per indulgentiarum frequentes prædicationes pecuniarū collector fuerat, per huiusmodi querimonias criminationesq; tum Lutheri, tum Poëtarū & Rhetorum, in dies magis ac magis decrescibat auctoritas apud populum, minuebatur plebis ad indulgentias deuotio, inuisi reddebantur Quæstores & Cōmissarij, rarecebant manus largientium: Luthero autem contra augebatur authoritas, fauor, fides, existimatio, fama: quod tam liber acerq; videretur veritatis assertor, contra fraudes Quæstorum & fumos Bullarum, quas non gratis darent, sed pecuniis venderent indulgentiarum Commissarij. In-
Lutherus Roman. citatus.
Luth. in appellacione sua

terea Romæ ab Aduersariis procurabatur Citatio, qua per fiscale Papæ vocabatur in ius Lutherus designatis ad eam causam iudicibus, Hieronymo de Genutiis, Episcopo A sculano, Auditore Cameræ, & Syluestro Prierate, Theologo, Magistro sacri Palatij. Lutherus vero cōquestus de insidiis, quod nusquā tuto cōsisteret & de iudicibus sibi suspectis, suāmq; præterea

obtendēs paupertatem corporisq̄ue imbecillitatem, per Ducē Saxoniae Fridericum, Principem Electorem sollicitauit, vt causa ad partes cōmitteretur. Commissa igitur fuit Thomae de Vio Caietano, Cardinali S. Sixti, qui eo tēpore erat in Germania Sedis Apostolicae de latere Legatus. Quamuis verò & hic iudex Luthero vehementer displiceret, quod Thomista esset & ordinis praedicatorum: ne tamen omnino contumax & rebellis videretur, cōparuit corā illo Augustae. Venit igitur Augustam Mense Octobri, sumptis quidē secum literis cōmendaticijs protectoris sui, Ducis Saxoniae Friderici Electoris, attramen sine Caesaris Maximiliani fide publica, seu saluo cōductu. Benigne itaque in Cardinalis Legati cōspectum Colloquiumque admissus ac paterne admonitō, tria iussus est, ex mandato Papae, prestare. Primum, vt ad cor rediret, erratusque suos reuocaret. Secundum, vt promitteret in futurum ab eisdem abstinere. Tertium, vt ab omnibus contineret se, quibus Ecclesia perturbari possit. Ipse verò, cum nullos veller erratus agnoscere, post multos auditos redditosque sermones inter colloquendum, periit tandem deliberandi tempus. Altero igitur die reuersus, cum adessent quatuor viri ex ordine Procerum & Consiliariorū Caesaris, vt omnē herefeseos suspicionē è mētibus illorū tolleret, coram Legato personaliter protestationē suā in haec verba scriptā ex scheda, quā in manib⁹ tenebat, legit ac recitauit. Ego frater

*Luth. in a-
Eius Augu-
stenfi.
Cardinalis
Augustae
tria praecepit
Luthero.*

*Protestatio
Luth. coram
Legato.*

frater Martin⁹ Luther Augustinian⁹, protestor
 me colere & sequi sanctā Romanā Ecclesiam
 in omnibus meis dictis & factis, præsentibus,
 præteritis, & futuris. Quod si quid cōtra vel ali
 ter dictum fuit vel fuerit, pro non dicto habe
 ri & habere volo. Legatus vero vir doctissi
 mus, probe sciens, illum non solum in suis re
 solutionibus, verū etiā in proximo Colloquio
 multa protulisse de Indulgentijs & de potesta
 te Papæ, aliter quā sentit Rom. Ecclesia: in ste
 tit rursus, vt illa tria præstaret, quæ ex mandato
 Papæ pridie audierat. Ille vero vltterius prote
 stabatur, se nō esse sibi cōsciū, aliquid dixisse,
 quod sit cōtra sacrā scripturā, cōtra Ecclesiasti
 cos patres, contra Decretales Pontificum, aut
 cōtra rectā rationē. Attamen quia homo sit qui
 errare possit, velit se submittere iudicio & de
 terminationi legitimæ sanctæ Ecclesiæ, & om
 nibus melius sentientib⁹. Nominatim verò, Do
 ctoribus insignium Vniuersitatū Imperialiū
 Basiliēsis, Friburgēsis & Louaniēsis, Aut si nec
 id satis sit, etiā Parisiensis, quā dicebat studiorū
 parentē, & ab antiquo semper Christianissimā,
 ac in Theologia florentissimā: Quamuis paulo
 post lōge aliter de ea & senserit & scripserit. Le
 gato autē in priori sentētia sua persistēte, petijt
 scriptilē (vt ipse loquitur) admitti respōsionem:
 Qua admissā, multa corrasit argumēta cōtra Ex
 traagātē Clemētis VI. de Indulgētijs, cōtra au
 toritatē Decretaliū Ro. Pōtificū, cōtra merita
 sanctorū, cōtra Indulgētiarū Thesaurum, &

*Protestatio
 Luth. corams
 Legato.*

*Dissensio in
 ter Legatum
 & Lutherū.*

contra bonorum operum merita: de sola fide
 fastuose contendens. Ex quibus Legatus facile
 intelligebat, illum dare solūmodo verba, men-
 tēq; habere ad errores & opiniones suas ob-
 stinatā. Idcirco dixit ei, nisi reuocet, censuris ex
 Papæ mandato sit illigandus. Audierat verò
 Lutherus, Legatum habere mandatū capiendi
 ac incarcerandi & ipsum, & Vicarium suū Stau-
 pitium. Hinc anxietate plenus: quia verabatur
 in conspectum redire illius, nisi reuocaret, cœ-
 pit occulte per amicos sollicitare Cæsarianos
 pro impetrando saluo conductu. Quo impe-
 trato, fretus consilio sui Staupitij, scripsit ap-
 pellationem, à Legato ad Papam melius infor-
 mandum prouocans, quam, vbi occulte abiis-
 set Augusta, iussit affigi palam, ad concitādam
 maiorem in populo, contra Papam & Legatū
 eius, inuidiam odiumq; Laicorum. Cum ta-
 mē & præsens ad faciem, & absens per literas,
 multas diceret Legato & laudes & blanditias,
 quibus bonum virum nequiter lactabat ac lu-
 debat. Etenim abiturus Augusta, scripsit ad eū
 blandissime, & gratias agens pro exhibita in se
 clementia: & appellandi necessitatem expur-
 gans, non solum quod amici ita iussissent:
 verum etiam quod sciret, Principi suo longe
 gratiorem fore Appellationem quàm Renou-
 cationem. Addebat præterea, nō videri sibi ne-
 cessariam Appellationem, cum omnia submi-
 serit iudicio Ecclesiæ, nec aliud quàm illius sē-
 tētiā expectet. Domum vero reuersus, adhuc
 multo

*Dolose blā-
 dita Luthere
 ri ad Lega-
 tum.*

multo blandius rescripsit, commemorans & ex tollens illius clementiam, humanitatem, & sapientiam, quod qui vi agere potuisset, per Stautium agere maluerit, qui talis ac tantus sit in oculis suis, ut nullus sit in mundo, cui libentius auscultet & consentiat. Vbi & culpam agnoscebat nimiam tum vehementiam tum irreuerentiam suam in Papam, proinde petebat veniam, tanquam pure & ex animo dolens ac poenitens. Quod & per omnes conciones se populo annunciaturum promittebat, operamque daturum, ut posthac alius sit aliterque loquatur quam antea. Vnum enim petebat, ut possit audire vocem sponsae, quam certum est audire vocem sponsi.

Hac & id genus multa honorifice scribebat ad ipsum Legatum. Ad alios vero longe aliter scripsit, non solum priuatim, sed & publice, virum illum grauissime accusans Tyrannidis: superbiae, infidelitatis, ignorantiae &c. Sic enim scripsit in Actis. Video (inquit) libellos ædi, & rumores varios spargi de actis, meis Augustensibus. Quanquam vere nihil ibi egerim, quam quod & tempus & sumptus perdidit. Nisi id satis abunde, fuerit operis, quod nouam audiui linguam Latinam: scilicet, quod veritatem docere, idem sit, quod Ecclesiam perturbare. Adulari uero, & Christum negare, id est, Ecclesiam pacificare, & exaltare. In appellatione sua secunda ait, illum nimio factionis suae fratribus affectum, faciem iniquitatis assumpsisse, minasque diras &

B

*Criminatio
nes Lutheri
in Legatum.*

crudelissimas intentasse, atque ouem Christi petentem humiliter doceri veritatem, & reduci ab errore, contempsisse. Item, in præfatione ad Galatas. Cardinalis (inquit) Caietanus passim se pro Rom. Ecclesia venditat in Germania, sub nomine illius Breuia Apostolica comminiscisatis doctus. Denique in epistola sua secunda ad Leonem X. grauissime simul & calumniosissime illum accusans, ait. Notum esse arbitror tibi, quid mecum egerit Cardinalis S. Sixti, Legatus tuus, imprudens & infœlix, immò infidelis. In cuius manu, ob tui nominis reuerentiam cum me & omnia mea posuissem, non hoc egit, ut pacem statueret, quam vno verbulo potuisset facile statuere: Cum ego tum promitterem silentium, & finem causæ meæ facturum, si aduersariis idem mandaretur. At homo gloriæ, nõ contētus eo pacto, cœpit aduersarios iustificare licentiam aperire, & mihi palinodiam mandare: id quod in mādatis prorsus non habuit. Hic sane, vbi causa in optimo loco erat, illius importuna Tyrannide venit in multo peiorem. Vnde quicquid post hæc secutū est, non Lutheri, sed Caietani tota culpa est, qui ut silerem & quiescerem, non est passus. Quod tum summis viribus poscebam: Quid enim facere amplius debui? Ergo ut Legati quoque victor videretur & maiorem inde famam fidemque & autoritatem sibi acquireret, scripsit in Actis suis, quod ille nullam syllabam ex sacris literis contra ipsum produxerit vnquam, nec possit etiam si
quam

*Yactantia
Luth. contra
Legatum.*

quam maxime vellet Contra vero, vbi scripturas attulisset Luherus, Legatus de corde suo effinxerit glosas, iuxta lógá Ro. Curiā consuetudinem, Qua, relictis sacris literis, & acceptis traditionibus verbisque hominum, factum sit, vt Ecclesia Christi non mēsurā tritici pascat, nec verbo Christi sed nō raro temeritate & voluntate alicuius indoctissimi adulatoris regatur, & eo profecerit nostrā infelicitatis magnitudo, vt ad reuocationē & abnegationem fidei Christianā & sacratissimā scripturā incipiant compellere. Eiusmodi querelis auxit Lutherus apud quāplurimos sibi quidē fauorem & estimationem, aduersariis vero odium & contemptū. Ausus itaque fuit, etiā Protectoris & Principis sui autoritate, Vuittembergam publico scripto citare quoslibet hæreticā prauitatis Inquisitores, si quideātur sibi deuorare feruū, petrasque dirumpere, vt veniant illuc cum ipso disputaturi, habituri non modo saluum conductum: sed etiam liberū hospitium sumptusque à Principe. Hæc & id genus multa iactans, sibi que scripturarum peritiā præ omnibus arrogās, plurimos in partē suam traxit: clamitans, non solū scholasticos Theologos, verum etiam Papam ipsum eiusque Decretales vim facere scripturis, easque torquere, ac improprie & abusue intelligere. Exclamabat igitur aliquādo in tales, quī aliter quā ipse vellet, scripturas interpretatur, quod sint Centuplo peiores Turcis: Quoniam verbum Dei, quod omnia sanctificat, scelerate

B ii

Contra Inquisitores.

Luth. in defensione Sermonis de Indulgentiis.

Luth. in Actis August.

Duplicia verba Lutheri.
Luth. in Actis August.

in nihilum redigant. Simulabat quidem eo tempore blandioribus verbis modestiam, humilitatemque & obedientiam, ut partem suam & auctiorem & commendatiorem redderet: Cor tamen eius semper erat in mordacitatem superbiamque & rebellionem erectum. Quod sane alicubi ipsemet palam fecit. Ait enim in Actis ad Lectorem. Posteriores responsionem emeam, etsi cum multa reuerentia dedi, ac vel in arbitrium summi Pontificis reposui: Non tamen id me fecisse credas, quod de re ipsa dubitem, aut animi sententiam sim vnquam mutaturus, sed quia oportuit reuerentiam seruare ei, qui vice summi Pontificis, fungebatur. Dixerat autem in ea responsione, animam suam paratissimam cedere, mutare, reuocare omnia, ubi aliter intelligenda esse edocta fuerit: Quomodo autem doceri queat, qui animi sententiam mutaturus nunquam fuerat? qui non solum Legatum, summæ alioqui eruditionis virum, quem & Lutherus ipse insignibus dotibus, præsertim iudicii acrimonia donatum fateretur: sed & Pontificem Ro. Leonem X. repræhenderat, Qui Syluestrum Prieratem, sacri Palatii Magistrum, simul cum S. Thoma proteruissime contemnebat: calumnians vtrunque, quod nudis verbis incedant, sine scriptura, sine patribus, sine Canonibus, denique sine vllis rationibus. Mera igitur verba dabat, cum reuocaturum se promitteret.

Luth. ad dialogū Syluestri

Anno